



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 73. Sessio IV. Mediolanensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. LXXIII.

Sessio VI. Mediolanensis.

In act. l. c.
p. 147.

De chesne

Die vigesima quarta Martii, quæ erat feria quarta, Sessio VI. celebrata est, remque divinam peregit Franciscus de Rohan Lugdunensis Archiepiscopus, quam sermo, a Guilielmo Quercio Theologiæ Doctore, atque Parisiensis Universitatis Theologo declamata excepit; hic assumpto argumento ex verbis S. Pauli: *Christus dilexit Ecclesiam, ut exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam.* ad Ephes. 5. v. 25. & 27. Christi charitatem erga Ecclesiam suam, statum hominis ante lapsum, remedia post lapsum adhibenda, & externa atque interna Ecclesiæ ornamenta exposuit, ac denique differuit de vitiis, quibus Ecclesia tam in suo Capite, quam in potissimis membris commaculatur. Absoluta oratione Fiscales Concilii Procuratores rursus paucis referebant, qua moderatione Patres erga Julium usi essent: quam parum vero hic Pontifex cunctis eorum precibus, ac sollicitationibus detulisset, cum inducias ei concessas spreverit, necnon promissa eidem facta, atque indulgentiam hactenus exhibitam flocci habuerit. Demum incusabant Papæ pertinaciam, qua omnibus propositis obluctatus esset rationibus, quibus ad reddendam Ecclesiæ pacem

pacem induci debuisset (*). Absoluta hac relatione Papam denuo ad Synodum vocari, sique post trinam citationem comparere negligeret, contumacem declarari postularunt. Annuit Synodus Procuratorum votis, moxque Catalaunensis, & San-Florinus Episcopi Pontificalibus ornati, summi Altaris gradus conscendebant, & trina vice clamabant: *Adestne Julius II. Papa, vel alius ejus nomine*; post hæc ad medium Ecclesiæ procedentes, idem repetebant; demum ad valvas Ecclesiæ tertiam faciebant citationem: Nemine autem comparente, Synodi Præsidem de Papæ absentia certiozem reddebant.

§. LXXIV.

Sessionis VI. Decreta.

His peractis diversa condebant decreta, velut totidem Ecclesiasticæ disciplinæ

U 2

næ

(*) Hæc ac cetera temeraria verba, aususque sacrilegos hi graculi a Basileensibus corvis didicerant; nam nil antiquius schismaticis est, quam identidem vociferari: Pax! pax! & non erit pax; cum illi primi pacem perturbent, schisma consent, atque nutriant; hi, me hercle, egregii sunt Synodi Patres, quorum decreta Spondanus ad hunc annum num. 14. (Gallus licet ac in Francia Episcopus) conciliarium nugas appellat.